

nidos ultra flumen (81) Albia; sed tamen eo tempore non prosperatus est transitus ejus sed plerumque Francorum occisi sunt.

XLII. Imperator ad Aquis totum annum sedet, & (82) Richolfus ad Monasterium (83) nostrum Fulda, idest, Sancti Bonifacii, missus est Abbatis & Fratrum causâ; & Ecclesia Sanctæ Mariæ in monte dedicata.

XLIII. Mortalitas bouum maxima penè in tota Europa, nec non & hominum plurimorum, & (84) Hruothruda filia Imperatoris & Pippinus filius ejus. Imperator venit in Saxoniam. Eclipsis Solis II. Kal. Decembris.

XLIII. Hyems fuit durissima, perdurans usque ad finem Martii mensis, & duo filii Imperatoris, idest, (85) Pippinus moritur, & (86) Karlus moritur.

XLIV. Facta est conturbatio non minima in Monasterio Sancti Bonifacii, & fratres XII. ex ipsa familia perrexerunt simul cum Abbate Ratgario ad iudicium Imperatoris Karli, nec tamen ita commotio illa quieuit, sed post Richolfus Archiepiscopus Magontiacensis, & Bernharius Episcopus civitatis Wangionum, & Hanto Episcopus Augustensis, & VVolgarius Episcopus Ecclesiæ VVirzburg, cum ceteris fidelibus, qui simul ad illud Palatium convenerunt, jussu Imperatoris sanaverunt commotionem illam in Monasterio Sancti Bonifacii. Eo anno dedicata est Ecclesia Sancti Joannis Baptistæ in Australi parte Monasterii juxta flumen Giralahha.

XIV. Richolfus Archiepiscopus Magontiacensis Ecclesiæ defunctus est V. Idus Augusti, & Placitum magnum in mense Augusto ad Aquis factum est, & Karlus imperator constituit (87) Hlodoveum filium suum simul, imperare cum eo, imponens diadema capiti ejus. Postmodum in Maio mense habitum apud (88) Magontiam, in quo præfuderunt Riculfus Archiepiscopus, & Hiltibaldus Archiepiscopus Coloniensis.

I. (89) Karlus Imperator moritur ad Aquis V. Kal. Februarii die Sabbati, Anno Domini Incarnationis DCCCXIV. Indictione III. & regnavit Hlodoveus filius ejus pro eo. Eo anno placitum suum cum Francis Imperator Hlodovichus habuit Kalendis Augusti mensis, & Legati Græcorum auxilium petebant ab eo contra Bulgares & cæteras Barbaras gentes. Eo tempore Hierosolyma vastata est à Persis, & persecutionem magnam in Orientalibus partibus Christiani habebant. (90) Hraban ordinatur ad Presbyterum X. Kal. Januarii ab (91) Heistolfo Archiepiscopo Magontiacensi.

II. Hlodovichus Imperator suum Placitum cum Francis in Saxoniam ad Phaderobrunnen habuit, & illuc venit filius ejus Hludharius Rex Bajororum, & alius filius, idest Pippinus

(81) Albia pro Albis. Supra legitur etiam Helbia sive Elbia.

(82) Richolfus, sive Richulfus, Archiepiscopus Magontiacensis. Est autem Richolfus, sive Riculfus idem nomen atque Hilpricus sive Hilpreich, vide supra.

(83) Hinc colligi posse videtur, Auctorem horum Annalium pertinuisse ad Monasterium Fuldense. Sed eodem modo appellat idem Auctor supra etiam Monasterium Laureshamense Monasterium nostrum.

(84) A. C. 810. apud Pith. & Freher.

(85) A. C. 810. apud Pith. & Freher.

(86) A. C. 811. apud Pith. & Freher.

(87) Ita ibi scriptum est. Qui quidem locus valde est notabilis, quoniam eo probari potest, unum

A Rex (92) Æquitaniarum, Bernhartus quoque filius Pippini Rex Langobardorum, & erat illud Placitum Kal. Julii mensis.

III. Anno III. Hloduvvichi factum est Concilium magnum in Aquigrani in mense Augusto, & præceptum est, ut Monachi omnes cursum Sancti Benedicti cantarent ordine regulari, & duo Codices scripti sunt, unus de vita Clericorum, & alter de vita (93) Nonnarum. Eo anno Leo Papa obiit, & ordinatus est Stephanus pro eo in Episcopatum Romanæ Ecclesiæ; qui in mense Octobris venit ad Hloduvvichum Imperatorem civitate Remis, & reversus est in pace. Piccopinus de amicis Regis, qui & filiam Imperatoris duxit uxorem, defunctus est.

IV. (94) Anno quarto conventum suum habuit Hloduvvichus Imperator cum Francis in Aquigrani mense Junio, & in dicto ordinatus est filius ejus Hludharius in Imperatorem, ut consors Regni fieret cum patre. Eo anno Stephanus Papa decessit, cui successit (95) Pascualis in Pontificatu. Bernhartus quoque Rex Italiæ seditionem levavit contra Imperatorem, & Hloduvvichus Augustus Italiam cum exercitu perrexit. Eodem anno Ratgarius Abbas (96) depositus est.

Huc usque vetustissimi illi Annales Francorum Laureshamenses, & Fuldenses ab Anno Christi DCCXIV. usque ad An. DCCCXVII. pertingentes, qui postea diversis temporibus, & locis à diversis aucti & continuati sunt.

Idem Lambecius ibid. pag. 377. n. 28.

D Eimus sextus Codex ad vitam & res gestas Imperatoris Caroli Magni pertinens, de quo alius prolixius acturus sum, est membranaceus in quarto, & inter MStos Codices Historicos Latinos ducentessimus sexagesimus sextus. Continet is incerti cujusdam Autoris antiqui, qui tempore Imperatoris Caroli Magni vixit, Annales Francorum ab anno Christi DCCXIV. usque ad an. DCCCIII. Scriptus est hic Codex tempore ipsius Caroli Magni, ut manifestè apparet cum ex characteribus, qui alius ejusdem ævi Codicibus MStis ad unguem congruit, tum ex notabili quodam antiquæ istius Theotiscæ sive Germanicæ lingue, qua ipse Carolus Magnus tamquam patria usus est, fragmento, quod jam memoratis Annalibus immediate subiungitur. Quandoquidem igitur Annales isti nec nimium prolixi sunt, nec ante hac, quod sciam, ab aliis editi, bona fide integros eos hic publico, quantum per defectum, qui est in principio, & per nonnulla præ vetustate vix amplius legibilia loca potest fieri.

cum

E

atque idem esse nomen Ludovici & Clodovai.

(88) A. C. 813. apud Pith. & Freher.

(89) A. C. 814. apud Pith. & Freher.

(90) Rabanus Maurus.

(91) Successit is Richulfo.

(92) Æquitania pro Aquitania.

(93) Nonna pro Sanctimoniali, seu femina Deo consecrata. Vide Vofs. Glossar. Latino-barbarum lib. 2. cap. 13.

(94) A. C. 817. apud Pith. & Freher.

(95) Pascualis pro Paschalis.

(96) Nempe Fuldensis, apud Pith. & Freher. ea de re hæc leguntur: Ratgarius Abbas Fuldensis Cenobii accusatus à Fratribus, & convictus deponitur.